

emenda, hoc est denario sanguinis, quem recipere, porrectum ab Officialibus, tenebitur aduocatus. Omnes uero questiones, super debitis, et aliis causis, sine effusione sanguinis, in hominibus ecclesie per totum ducatum nostrum emergentes, per ipsum Prepositum et suos Officiales, non per iudices seculares, uolumus iudicio terminari. Generaliter autem omnibus aduocatis et iudicibus in nostrorum ducatum districtu residentibus precipiendo mandamus, ut in nulla causa, siue mortem hominis exigat, vel satisfactionem pecuniariam requirat, nichil de rebus hominum ad ecclesiam spectantium, sibi attrahere debeant preter quam emendam debitam et consuetam. Item cum quidam iudices adeo maliuoli existant, ut ad extorquendam pecuniam tantum, talia hominibus inponant crimina, que nec probare poterunt nec intendunt, districte prohibemus, ut nullus iudicum hominibus ecclesie tale aliquid ulterius obicere debeat, de quo eosdem conuincere non ualeat, alioquin quicquid ab eisdem recipere metu tali presumpserint, leso primo duplicatum, et nichilominus uiceaduocato pro emenda restituent duplicatum. Item predium in Waltensdorf, cum pascuali monte Sêalb nuncupato, simulque siluam in Clina, cum omni utilitate eradicandi, plantandi, uenandi, piscandi, ab eodem duce tradita. Item capellam in Schoenberch, cum omnibus prediis ad eam pertinentibus. Item siluam dictam Mvlwalt, cum omni utilitate. Nec non omnes possessiones dicti Cenobij, quocumque loco sitas, vel a quacumque persona traditas, eidem Monasterio roboramus, et roborando in nostre protectionis gratiam recipimus defendenda. Sub optentu nostre gratie omnibus inhibentes, ut nullus ammodo ratione aduocacie memoratam ecclesiam in bonis ipsius, hic expressis, et non expressis nisi quis per priuilegia, de iure suo speciali nos docuerit, debeat, vel audeat molestare quippiam vel turbare. Preterea uolumus, et dstrictius inhibemus, ut nullus in utroque ducatu nostro, de prediis ecclesie, absque speciali mandato nostro, iudicum, quicumque debeat vel audeat iudicare, eodem, quod ecclesie iure aduocacie nobis attinentes, sine scitu nostro, predia sua de iure perdere non debeant neque possint. Item cum bona conuentualium ecclesiarum, per hospitalitatis ministerium, omnibus communia uideantur, Mandamus firmiter et precise, ne quisquam Mutariorum nostrorum, quocumque loco, de bonis prefati monasterii, sine sit uinum, vel annona, vel etiam sales, immo, quocumque nomine censeantur, sine per empcionem habeant, vel ex censu, vllum deinceps in utroque ducatu nro, exigere debeat theloneum siue Mutam. Immo uolumus, ut nullius occasionis pretextu, bona eiusdem ecclesie, cum per fora vel ciuitates transducta fuerint, detineri ab aliquo permittantur, nisi prius ab eorum uiceaduocato iusticia fuerit requisita. Set nec homines ecclesie occasione debitorum ab aliquo detineri uolumus, nisi prius a Preposito, vel suis Officialibus iusticia exigatur. Preterea omnes offensas, uolencias, et grauamina, ipsi ecclesie in rebus vel hominibus illata, statim cum ad ipsum delata fuerint, uiceaduocatus sic corrigere tenebitur, ut ad nostram audienciam non ducantur, alioquin, ad postulacionem prepositi eundem aduocatum mutabimus, et ulcisci easdem iniurias auctoritate propria faciemus. Ipse etiam uiceaduocatus, in omnibus causis, et precipue in hiis, quas ordo ecclesiasticus sibi non uendicat, pro prelato in placitis, etiam nobis iudicio presidentibus, iusticiam postulare tenebitur omni uice. Item cum prefatus dux Otachrus (!) ex specialis fauoris gratia, ipsi Monasterio, Minerias cuiuscumque metalli in eorum prediis inuentas, licenciam dederit fodiendi, gratiam huiusmodi taliter duximus confirmandam, quod si princeps terre, Minerias in sua possessione inuentas, vsibus suis attrahere uoluerit secundum suam conscienciam, per commutacionem ecclesie recompenset Indulgemus eidem Cenobio, etiam hanc nostre pietatis gratiam, ut siquis ex nostris, aliorum vel humilium de rebus suis mobilibus vel immobilibus conferre uoluerit quippiam ob anime sue remedium dicto loco, explere sibi liceat uotum suum. Ut igitur antedictæ ecclesie quam ad statum meliorem prouehere cupimus, omnes prescripte gratie, sine libertates, seu etiam donaciones, per nos, et nostros successores, irrefragabiliter perpetuo conseruentur. presentem kartam inde conscribi, et nostri sigilli caractere fecimus consignare. Testibus subnotatis, qui sunt. Vlricus de Stubenberch, Herrandus de Wildonia. **Ditricus de Lichtenstain**, Henricus de Chapenberch, Perichtoldus de Emmerberch. Gundachrus de Stiria. Ortolfus et Hertnidus de Volchenstorf, Gundachrus de Storchenberch, Albero de Polnheim. Albero de Greimstain. Otachrus de Slierbach, Vlricus et Levtoldus de Peccach. Hainricus de Adelwanach, Otto et Otachrus de Wolchenstain, Waltherus de Fverstenveld. Ditricus de Hohenstain. et plures alii fide digni. Datum aput Admundiam. Anno dñi. Millesimo Ducentesimo Secundo. Quarto Nonas Junij. Indictione sexta (!) Sub Purchardo prothonotario.

(Mit dem vom eigentlichen Original losgebrochenen und hier mit den alten Schnüren wieder befestigten Siegel; die Umschrift kaum lesbarlich.)